



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

v. An priuetur qui occidit per industriam inimicum, etiam incautum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

lut. 105. & Bonacina disput. 3. quest. 7. de immunit. §. 4. num. 16.

SECTIO V.

An priuatur, qui occidit per industriam inimicum, etiam incautum?

SVMMARIVM.

- 1 Occidens per industriam inimicum dormientem, vel alio modo incautum, verbi gratia à tergo, vel à fenestra, gaudet immunitate.
- 2 Proditor propriè dicitur is, qui aliud gerit in opere, aliud in corde.
- 3 Verbum (proditorium) in Constitutione Gregoriana appositum est stricte interpretandum.
- 4 In Regno Neapolis recepta est opinio Bartoli, quod scilicet delictum non intelligatur propriè proditorium, nisi sub colore, seu specie amicitiae committatur.
- 5 In sententia aliquorum Doctorum homicidium ut vulgo dicitur appositum semper est proditorium, sed reuera est proditorium latè & improprie, non autem stricte, & propriè.

SEquitur quartò, quod è contra immunitate non priuatur, qui occidit per industriam, & insidias inimicum, etiam dormientem, vel alio modo incautum, verbi gratia à tergo, vel à fenestra cum sclopo; quia in Constitutione Gregorij XIV. excipitur solum homicidium proditorium: at stante inimicitia, insidia (vti supra sect. 2. dicebam) non constituunt homicidium propriè proditorium, quia semper inimicus habet fundamentum sibi præcauendi, & si non facit, sibi imputare debet: ergo, &c.

Confirmatur, quia (vt ibidem dicebam) homicidium in tantum dicitur propriè proditorium, in quantum committitur sub colore amicitiae, cum proditor propriè dicatur is, qui aliud gerit in opere, aliud in corde; siquidem, cum immunitas Ecclesiae sit fauorabilis propter reuerentiam sacrorum locorum, & exceptio sit odiosa, ly proditorium, stricte interpretandum est. Vide quæ dicebantur supra dubitat. 3.

Atque ita contra Couar. 2. var. cap. 20. num. 7. Menochium de arbit. cas. 461. num. 27. Suarez lib. 3. cap. 11. num. 10. Fagundez de precept. Eccles. tract. 1. lib. 4. num. 46. Portel. vers. Ecclesia immunitas, num. 15. Gambacurta lib. 5. cap. 4. & 31. Villadieg. in Polit. cap. 3. num. 208. Azeved. lib. 1. tit. 2. num. 11. in Constit. Hispan. Petrum à Plaza epit. delict. lib. 1. cap. 21. num. 2. Villagut. de extensione legis, cap. fin. num. 53. vers. quartus modus. Marium Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 1. & seqq. Babadil. Polit. lib. 3. cap. 14. num. 34. & 35. Cuetellum de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 5. & 33. & 36. num. 11. Megalium in 3. part. lib. 4. ap. 2. quest. 1. n. 18. & alios (quos refert, & sequitur Farinacius de carceribus quest. 18. num. 76.) docent ex Bartolo loc. supra cit. Antonius Gomez var. resol. §. de homicidio, cap. 3. num. 5. Vincentius de Franchis decis. 713. (vbi ait, etiam ante Constitutionem Gregorij XIV. ita in Regno Neapolis decisum fuisse) Cepolla consil. 32. Clar. §. homicidium, vers. proditorie, Follerius in cap. Regni Item statuimus, de his, qui ad Eccles. confugiunt, Peregrin. de immunitat. cap. 7. num. 5. & 20. Bonacina disput. 3. quest. 7. punct. 4. num. 14. Riccius part. 5. collect. 1792. & part. 1. decis. 168. num. 1. Gratian. discept. forens. tom. 3. cap. 38. num. 4. & seq. Castillo decis. 156. num. 38. & 39. Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 62. (vbi ait,

quod occidenti inimicum à tergo cum sclopo, immunitate gaudere decreuerit sacra Congregatio Episcoporum in vna Mileuitana, die 2. Augusti, 1619.) Giurba consil. 20. num. 13. & consil. 60. num. 1. Lezana verb. immunitas, num. 12. Nouarius in Summa Bullar. tit. de immunit. num. 76. & 79. & 81. Sperellus decis. 23. per totam, Guttierrez pract. 99. civil. lib. 1. quest. 2. & 3. num. 18. Ambrosin. de immunit. cap. 6. num. 3. & seq. Suarez lib. 3. cap. 11. num. 13. Diana part. 1. tract. 1. resol. 1. num. 3. & resol. 5. & 35. Scortia theor. 385. Farinacius consil. 76. num. 7. & 15. & in append. de immunit. cap. 9. num. 143. (vbi Clementem VIII. iuxta Constitutionem Gregorij XIV. corrigendo cap. 1. de homicidio, sic respondisse testatur, & propterea mutat sententiam priorem, quam tenebat cit. quest. 18. num. 76.) & Genuesis in prax. cap. 94. vbi ait, quod in Regno Neapolis recepta sit opinio Bartoli, quod scilicet delictum non intelligatur propriè proditorium, nisi sub colore, seu specie amicitiae committatur.

Obiicies. Multi Doctores (quos citat, & sequitur Gambacurta lib. 5. cap. 4. 28. & 31. & Cutellus lib. 1. quest. 5.) docent, quod non solum homicidium, quod fit sub specie amicitiae, sed etiam quod fit sine tali specie, occidendo scilicet inimicum per insidias, quin etiam sine insidiis, ex industria tamen, & non ex rixa (quod homicidium vulgo appositum dicitur) siue à tergo, siue etiam à facie, sine diffidatione tamen, vt possit inuasus ad rixam se accingere, proditorium sit, quia semper in quolibet ex dictis casibus incautus occiditur, & ex improuiso adortus: ergo & talia homicidia non gaudent immunitate Ecclesiae, quod inde confirmari potest, quia si veneno quis occidatur, etiam inimicus, non gaudet tale homicidium immunitate Ecclesiae: ergo, &c.

Respondetur, Distinguo antecedens: proditorium sit, latè & improprie, concedo: stricte & propriè, nego: sicuti patet ex doctrina Bartoli cit. l. prospiciendum, §. delinquitur, ff. de penis, vbi nomen proditoris ad occisorem amici refert, & occisorem inimici excipit: quam doctrinam communiter sequuntur Iurista, vt dicit Igneus in l. si certus, §. si vnus ex dominis, vers. secundum quod, ff. ad Syllan. Clarus §. homicidium, vers. proditorie, Anton. Gomez lib. 3. var. tit. de homicid. num. 5. Gutierrez pract. lib. 1. cap. 2. numero 14. & 21. & Vincentius de Franchis decis. 717. num. 14. Et sic nego consequentiam. Ad confirmationem patet ex iis, quæ dicebam supra, sect. 2.

SECTIO VI.

An priuatur, qui occidit inimicum in duello?

SVMMARIVM.

- 1 Occidens inimicum suum in duello non priuatur immunitate.
- 2 Duellantes sunt excommunicati, & priuantur sepultura Ecclesiastica, non tamen priuantur immunitate.

SEquitur quintò, quod immunitate multò minus priuatur, qui occidit inimicum suum in duello. Atque ita in terminis docent Farinac. append. de immunit. cap. 7. num. 117. & Diana part. 4. tract. 1. resol. 46. Quidquid in contrarium sentiant Ludouicus Correa in relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part. 3. num. 19. Barbosa de iure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 101. & Mar. Italia de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 4. num. 42. & seqq.

Obiicies.